

III.—*Flavius Recesvintus Rex.*

Ne inter sponso discidium fiat.

Æquali placet transgressum damnatione multari, quod in læsum æquali constabat dignitate manere. Igitur iuxta præsentem superiorem legem et de viris et de mulieribus sponsatis, tam in personis, quam in rebus forma servanda est, qui post arrarum traditionem, aut factam

secundum leges definitionis sponsonem coniugale fœdus contemnentis, aliis se personis in coniugium copulaverint, seu sine pari consensu, aut ægritudinis fortasse manifesto periculo ad religionis propositum calliditate magis, quam devotione conversationis adspirare præsumperint, superiori lege coercendi sunt in omnibus.

LIBER IV.

DE ORIGINE NATURALI.

I. TITVLVS.

DE GRADIBVS.

I. De primi gradus natura. — II. De secundi gradus adfinitate. — III. De tertii gradus parentela. — IV. De quarti gradus consanguinitate. — V. De quinti gradus origine. — VI. De sexti gradus extremitate. — VII. De personis septimi generis, quæ legibus non continentur.

I.—De primi gradus natura.

Primo gradu continentur superiori linea pater, mater: inferiori linea filius, filia, quibus nullæ aliæ personæ iunguntur.

II.—De secundi gradus adfinitate.

Secundo gradu continentur superiori linea avus, avia: inferiori, nepos, neptis: transversa frater et soror, quæ personæ duplicantur; avus enim et avia, tam ex patre, quam ex matre; nepos, neptis, tam ex filio, quam ex filia; frater et soror, tam ex patre, quam ex matre accipiuntur. Quæ personæ sequentibus quoque gradibus similiter substantia earum, quæ in quocumque gradu consistunt, ipso ordine duplicantur. Et istæ personæ in secundo gradu ideo duplices appellantur, quia duo avi, et paternus et maternus, item duo genera nepotum sunt, sive ex filio, sive ex filia procreati. Frater, et soror ex transverso veniunt, id est, frater patris, aut frater matris, qui aut patruus, aut avunculus nominantur, qui et ipsi hoc ordine duplicantur.

III.—*Antiqua.*

De tertii gradus parentela.

Tertio gradu veniunt supra proavus, proavia: infra pronepos, et proneptis: ex obliquo fratris, sororisque filius, filia: patruus, et amita, id est, patris frater, et soror: avunculus, et matertera, id est, matris frater, et soror.

IV.—*Antiqua.*

De quarti gradus consanguinitate.

Quarto gradu veniunt supra abavus, abavia: infra abnepos, abneptis: ex obliquo fratris, et sororis nepos neptis, frater patruelis, soror patruelis, id est, patris filius, filiave: consubrinus et consubrina, id est, avunculi et materteræ filius, filia: amitinus, amitina, id est, amita filius, filia: itemque consubrini, qui ex duabus sororibus nascuntur, quibus adrecescit patruus magnus, amita magna, id est, avi paterni frater et soror: avunculus magnus, matertera magna, id est, aviæ tam paternæ, quam maternæ frater et soror. Hic plus exponi opus non est, quam lectio ista declarat.

V.—*Antiqua.*

De quinti gradus origine.

Quinto gradu veniunt, supra quidem, atavus, atavia:

XV. Neuxor sibi vindicet quod maritum cum servis eius adquisisse constiterit. — XVI. De his, quæ vir et uxor in coniugio constituti conquirere poterint. — XVII. De parvulo qualiter hæreditatem capere possit. — XVIII. Qualiter hæreditatem parvuli parentes adsequi possunt. — XIX. De posthumis. — XX. Vt qui non reliquerit filios, faciendi de rebus suis, quod voluerit, habeat potestatem.

I.—Vt sorores cum fratribus æqualiter in parentum hæreditate succedant.

Si pater vel mater intestati discesserint, sorores cum fratribus in omni parentum hæreditate absque aliquo obiectu æquali divisione succedant.

II.—Quod in hæreditatis successione filii primi sunt.

In hæreditate illius, qui moritur, si intestatus discesserit, filii primi sunt: si filii desunt, nepotibus debetur hæreditas: si nec nepotes fuerint, pronepotes ad hæreditatem vocantur: si vero qui moritur nec filios, nec nepotes, seu patrem, vel matrem relinquit, tunc avus, aut avia hæreditatem sibi vindicabit.

III.—*Antiqua.*

Si aut de superiori, aut de inferiori genere directi ordinis personæ defuerint, tunc a latere venientes facultatis accipiant portiones.

Quando supradictæ personæ desunt, quæ aut de superiori, aut de inferiori genere discreto ordine veniunt, tunc illæ personæ, quæ sunt a latere constitutæ, requirantur, ut hæreditatem accipiant defuncti, qui intestatus discesserit. Nam illæ personæ, quæ sunt a longinquo constitutæ, nihil se extiment illis prioribus posse repetere.

IV.—Qui succedere possunt in eorum facultatibus, qui nec scriptis, nec testibus suam alligant voluntatem.

De successione eorum qui sic moriuntur, ut nec donationem, nec ullum faciunt testamentum, nec præsentibus testibus suam ordinem voluntatem, qui gradu illis proximi fuerint, eorum obtinebunt hæreditatem.

V.—De successione fratrum et sororum, sive illorum, qui de diversis parentibus generantur.

Qui fratres tantummodo, et sorores relinquit, in eius hæreditate fratres, et sorores æqualiter succedant, si tamen unus patris et matris filii esse videantur. Nam si de alio patre, vel de alia matre alii esse noscuntur, unusquisque fratris sui, aut sororis, qui ex uno patre, vel ex una matre sunt geniti, sequantur hæreditatem. Filii tamen, qui ex diversis parentibus et una matre sunt geniti, ad capiendam maternam facultatem æquali successione deveniant. Similiter quoque, et hi qui de diversis matribus et uno patre oriuntur, divisionis ordinem tendant.

VI.—Si is, qui moritur, avos relinquit, vel avias.

Quotiens qui moritur, si paternum avum et maternum relinquit, tam ad avum paternum, quam ad avum maternum hæreditas mortui universa pertineat. Si autem qui moritur, avum paternum et aviam maternam reliquerit, æquales capiant portiones: ita quoque erit, si paternam et maternam aviam qui moritur, relinquere videantur. Et hæc quidem æquitas portionis de illis rebus erit, quas mortuus conquisisse cognoscitur. De illis vero rebus, quas ab avibus vel parentibus habuit, ad avos directa linea revocabunt.

VII.—Si is, qui moritur, sorores relinquit patris, aut matris.

Qui moritur, si tantummodo *patrum* et *amitam*, hoc est, patris *fratrem* aut sororem, sive *avunculum* et *materteram*, hoc est, matris *fratrem* vel sororem relinquit, et intestatum eum obisse contigerit, æquali iure succedant in hæreditate defuncti.

VIII.—*Antiqua.*

Si is, qui moritur, filios fratris, vel sororis relinquere videatur.

Qui moritur, si fratres et sorores non reliquerit, et

filios fratrum vel sororum reliquerit; si ex uno fratres sit unus filius, et ex alio fratre vel sorore forsitan plures, omnem hæreditatem defuncti capiant, et æqualiter per capita dividant portiones.

IX.—*Flavius Cintasvintus Rex.*

Quod in omnem hæreditatem femina accipi debeat.

Femina ad hæreditatem patris aut matris, avorum vel aviarum, tam paternorum quam maternorum, et ad hæreditatem fratrum vel sororum, sive ad has hæreditates, quæ a patre vel a filio patris, fratris etiam filio vel sororis relinquuntur, æqualiter cum fratribus veniat. Nam iustum omnino est, ut quos propinquitas naturæ consociat, hæreditariæ successionis ordo non dividat.

X.—Item ut in omnem hæreditatem femina accipi debeat, et quod qui gradu alterum præcedit, ille successionem vicinior capiat.

Has hæreditates, quæ a materno genere venientibus, sive avunculis, sive consubrinis, seu materteris relinquuntur, etiam femina cum illis, qui in uno propinquitatis gradu æquales sunt, æqualiter partiantur. Nam omnem hæreditatem, qui gradu alterum præcedit, obtineat.

XI.—*Antiqua.*

De successione mariti et uxoris.

Maritus et uxor tunc sibi hæreditario iure succedant, quando nulla adfinitas usque ad septimum gradum de propinquis eorum, vel parentibus inveniri poterit.

XII.—De hæreditate clericorum, et monachorum.

Clerici, vel monachi, seu sanctimoniales, qui usque ad septimum gradum non reliquerint hæredes, et sic moriuntur, ut nihil de suis facultatibus ordinent, ecclesie sibi, cui servierunt, eorum substantiam vindicabit.

XIII.—Vt post mortem matris filii in patris potestate consistent, et quid de rebus filiorum agere conveniat patrem.

Matre mortua, filii in patris potestate consistent. Quod si marito supprete uxor forsitan moriatur, filii qui sunt ex eodem coniugio procreati, in patris potestate persistent, et res eorum, si novercam non perduxerit, ea conditione possideat, ut nihil exinde aut vendere, aut evertere, aut quocumque pacto alienare præsumat, sed omnia filiis suis integra et intemerata conservet. Fructus tamen omnes cum filiis suis pro suo iure percipiat, et una cum ipsis filiis suis communibus consummat expensis. Quod si pater novercam superduxerit, quia valde indignum est, ut filii eius, patris potestate vel gubernatione relicta, in alterius tuitionem deveniant, filios suos pater ille, qui novercam duxerit, non relinquit; sed filios et res eorum iuxta superiorem modum tuitionis ordine regat. Ita tamen, ut inventarium de rebus filiorum suorum manu sua conscriptum coram iudice, vel hæredibus defunctæ mulieris strenue faciat, et tali se placiti cautione in hæredum illorum nomine constringat, quibus tutela ipsa pertinere, si pater defuisset, legitime poterat: ut nihil de filiorum suorum rebus evertat, sed et filiorum suorum vitam sollicito voto vel actu salvare intendat, et res eorum absque aliqua perditionis diminutione tuendas accipiat. Quod si pater ipse, qui novercam duxerit, tuitionem suscipere filiorum noluerit, tunc a iudice propinquo ex matre tutor est eligendus, qui tuitionem pupillorum accipiat. Quum vero filius duxerit uxorem, aut filia maritum acceperit, statim a patre de rebus maternis suam percipiat portionem, ita ut usufructuario iure patri tertia relinquatur. Pater autem, tam filio quam filia, quum XX. annos impleverint atatis, mediam ex eadem, quam unquamque contigerit de rebus maternis, restituat portionem; etiam si nullis fuerint nuptiis copulati. Medietatem vero dum vixerit pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. Eadem quoque et de nepotibus forma servetur. Quod

si pater de his rebus aliquid evertit, aut si super tempus, quod constitutum est, res filiorum tenere præsumperit, omnia de rebus eius illis filiis de cuius matre res esse videntur, reddenda sunt, et omnimodis sarcienda.

XIV. — Antiqua.

Si mater in viduitate permanserit, æqualem inter filios capiat portionem, et quid de rebus filiorum agere conveniat matrem.

Mater, si in viduitate permanserit, æqualem inter filios suos, id est, qualem unusquisque ex filiis usufructuario iure de facultate mariti habeat portionem, quam usque ad tempus vitæ suæ usufructuario iure possideat. Ceterum nec donare, nec vendere, nec uni ex filiis conferre præsumat. Quod si eam filii portionem ipsam matrem evertit, seu per negligentiam, sive per odium forte perspexerint; ad comitem civitatis, aut ad iudicem referre non differant: ut matrem sua contestatione commoneant, ne res quas usufructuarias accepit, evertat. Nam usum fructum quem ipsa fuerat perceptura, dare cui voluerit filio vel filiae, non vetetur. Sed et quod de ipso usu sibi debito iuste conquirere potuerit, faciat quodcumque illi omnimodis iustissime placuerit. Verum si ex ea usufructuaria portione aliquid probatur eversum, filiis post mortem matris de eius facultatibus sarciantur. Post obitum vero matris portio, quam mater acceperat, ad filios æqualiter revertatur, quia non possunt de paterna hæreditate fraudari. Quod si mater ad alias nuptias fortasse transierit, ex ea die usufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat consequuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt coniugio, vindicabunt.

XV.—Ne uxor sibi vindicet quod maritum cum servis eius adquisisse constiterit.

Maritus si cum servis uxoris suæ aliquid adquisierit, vel in expeditione aliquid lucris fuerit consequutus, nihil exinde uxor a viro suo præsumat repetere, nec ipso vivente, nec post eius obitum: sed vir, qui uxorem suam secundum sanctam scripturam habet in potestate, similiter et in servis eius potestatem habebit; et omnia, quæ cum servis uxoris suæ vel suis in expeditione adquisierit, in sua potestate permaneant. Pro eadem scilicet ratione, quia si ipsi servi, dum cum domino suo in expeditione conversabantur, aliquid admisissent forte damnosum, ille qui eos secum duxerat, et ei aliquid fecerant augmenti, ipse pro eis, et responsum daturus esset et compositionem, si culpabiles fuissent inventi. Vnde bene iubetur, ut sicut lucrum, ita et damnum ad se dominus noverit pertinendum.

XVI. — Flavius gloriosus Recesvintus Rex.

De his quæ vir et uxor in coniugio constituti conquirere poterint.

Dum cuiuscumque dignitatis aut mediocritatis mariti persona uxori fuerit nobiliter atque competenter adiuncta, et pariter viventes aliquid augmentaverint, vel in quibuscumque rebus quippiam profligasse visi fuerint, atque proveniat, ut unus ex eis maioris rei et facultatis dominus sit, de omnibus augmentis, et profligationibus pariter conquisitis, tantam partem unusquisque obtineat, quantam eius facultatem fuisse omnimodis sibi debita vel habita possessio manifestat. Ita ut si æqualis abundantiae domini sunt, pro parvis rebus contentionis intemperantiam non adsumant. Quia difficile est, ut in tanta æquitate facultas eorum possit æquari, ne in quocumque videatur una pars alteri superesse. Nam si evidenter unus facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, ut superius dictum est, iuxta quantitatem debite possessionis erit et divisio portionis, quam sibi post uniuscuiuscumque mortem vindicabit persona supprestis, et aut filiis suis aut propriis relinquat hæredibus, aut certe de ea facere quod voluerit, licentiam habebit. Eadem quoque ordinationis forma, tam in viris quam in

uxoribus, erit omnimodis observanda. De illis autem rebus, quibus in amborum nomine inveniuntur scripturæ confectæ, iuxta conditionem ipsius scripturæ, pertineat illis et divisio rei, et possessio iuris. Quod vero maritus, aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica conquisivit, aut de principis, vel patroni atque amicorum conlatione promeruit, filii vel hæredes eius ad integrum sibi vindicabunt, aut quod exinde voluerint iudicare, licenter illis erit plenam potestatem habere. Similis erit et de mulieribus conditio, si quorumcumque munere videantur aliquid percepisse.

XVII. — Flavius Recesvintus Rex.

De parvulo qualiter hæreditatem capere possit.

Interdum rem dubiam, nisi ratiocinationis disceptatio deducat in lucem, frequenter hanc ambiguitas præcipitat in errorem. Contendunt namque plurimi si genitus infans, non longe defunctus, hæreditatis possit partem iura sortiri: quorum litibus hos modos ponit ratio. Naturæ origo ita condita manet, talique usu decurrit, ne is qui nascitur, prius aliud quam se suscipientem capiat lucem, ut de tenebris genitalibus prodians, illarum rerum sentiat tactum, quarum hunc partibus constat esse concretum. Quo ergo ordine, libere capiat hæreditatem terrenæ possessionis, qui vix extremæ cepit primordia lucis? Quique sortitus vix est usum elementorum, quibus concretus est, quomodo sortietur bona rerum, ad quarum dominium natus non est? quemque non hæreditabit producta lux cœli, qualiter morte contractum improvisa ditabit portio mundi? quæ etiam ratione aggredietur viventium iura, cui vicinius fuit, mortem adisse quam vitam? Sicque naufragus in medio lucis angustias mox genitales exiit, mox fatales relapsus est in tenebras. Vt ergo et proximis parentibus ad successionem huius aditus reseretur, et ipsa defuncti vita comprobetur, si vere sit clara vita, atque hanc ipsam licet parvi temporis vitam comitetur eternæ participatio vitæ, non aliter in utroque sexu hæreditatem capiat qui nascetur, nisi post nativitalis ortum, et sacri baptismatis gratiam consequatur, et decem dierum spatiis vixisse probetur, ut successoris patris vel matris persona, quæ per hunc parvulum terrenæ cupit hæreditatis adquirere commoda, ante morituro eternæ mansionis præparet vitam, et ita demum adsequitur vivens cum rebus labentibus terram. Sicque salutari commercio dum hæreditat ille cœlum, hæreditet iste solum: dum illi providentur adire cœlestia, isti permittantur adire terrena: dumque adsequitur ille vitalia, conquirat iste caduca; ut etsi defunctus terrenum ius non potuit possidere terrenus, saltem ille cœlestem lucrum valeat obtinere.

XVIII. — Flavius Cintasvintus Rex.

Qualiter hæreditatem parvuli parentes adsequi possunt.

Patre defuncto, si filius filiave decem sive amplius, vel infra diebus vivens, et baptizatus ab hac vita discesserit, quidquid ei de facultate patris competere poterat, mater sibi debeat vindicare. Itemque, matre defuncta, non aliter defuncti filii portionem pater obtineat, nisi natum filium, filiamve decem diebus, sive amplius vel infra vixisse et fuisse baptizatum edoceat. Ita ut pater aut mater, quibus ista successio competit, si filios non reliquerint, integram et intemeratam eandem luctuosam hæreditatem dividendam omnibus nepotibus derelinquant. Nec meliorandi quemcumque nepotum amplius quam de tertia parte huius rei habeant potestatem. Nam si ecclesiis vel libertis, seu cuilibet largiri de eadem facultate voluerint, de quinta tantum parte, secundum superiorem legem, potestatem habebunt. Sin autem nec filiis, nec nepotes, nec pronepotes supprestes extiterint, quod de eadem facultate facere vel iudicare voluerint, habeant potestatem. Quod si intestati discesserint genitores, tunc alii parentes defuncti patris vel matris, qui gradu proximiores fuerint, prædictam facultatem pro-

III. TITVLVS.

DE PVPILLIS, ET EORVM TUTORIBVS.

I. Quod utroque relectus parente pupillus vocetur. — II. Ex quo incipit computari anni in actionibus pupillorum. — III. Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum, quæ pars tutoribus detur. — IV. Ne tutores ab eis quos in tuitione habent quascumque scripturas extorquere præsumant.

I. — Flavius Cintasvintus Rex.

Quod utroque relictus parente pupillus vocetur.

Discretio pietatis est sic consultum ferre minoribus, ut iustæ possessionis dominum sustinere damna non patiamur. Ob hoc licet hactenus, a patre tantum relictus filii parvuli, pupilli nuncuparentur: tamen quia non minorem curam erga filiorum utilitatem matres constat frequenter impendere, ideo ab utroque parente, hoc est, patre vel matre infra quindecim annos filios post mortem relictos, pupillos per hanc legem decernimus nuncupandos.

II. — Flavius Cintasvintus Rex.

Ex quo incipit computari anni in actionibus pupillorum.

Quotiens de omissione rerum intentio vertitur, illos annos in pupillorum actionibus computandos esse censemus, quibus parentes ipsorum, pater videlicet aut mater, re caruisse noscuntur: id est, ut ex eo tempore cum pupillaribus annis ad quinquagenarium numerum summa pertendat, de quo a prædictis eorum parentibus esse rem constat amissam. Sin vero parentes pupilli, dum viverent, rem per triginta annos amiserint, pupillus propter hoc ultra loqui non poterit.

III. — Qualiter pupillorum tutela suscipiatur, vel de rebus eorum quæ pars tutoribus detur.

Si patre mortuo in minori ætate filii relinquantur, mater eorum tutelam, si voluerit, suscipiat, si tamen in viduitate permanserit. Ita ut de rebus filiis debitum inventarium faciat, per quod postmodum filii hæreditatem sibi debitam quærant. Quod si mater alium maritum acceperit, et aliquis de filiis iam ad perfectam, id est, usque ad viginti annorum perveniat ætatem, ipse iuniores fratres sua tuitione defendat, et res eorum nec ab ipsis, nec ab aliis permittat everti, nec aliqua negligentia deperire. Quod si eas ipse forte consumperit, aut venderit, vel donaverit, aut per negligentiam suam perire permiserit; quum fratres adoleverint, ea quæ per negligentiam ipsius perierint, de sua illis portione restituant. Cui tamen de fructibus ad victum præsumendi partem decimam non negamus, ut non hæc, quæ debet minoribus reservare, nimis evertat expensis. Si quas vero de suo pro comunibus necessitatibus aut negotiis expensas fecerit, facta præsentem iudice rationi, de ea quæ ipsa a patre communis relicta est substantia, quod expenderit consequatur. Quod si fratres eius ætatis vel meriti non fuerint, qui defensionem suscipiant orphanorum, tunc patruus vel patruus filius, tutelæ qualem de fratribus constituimus, conditionem suscipiat. Quod si nec patruus, nec patruus filius, qui digne tutelam suscipiat orphanorum fuerit, tunc tutor ab aliis parentibus in præsentia iudicis eligatur. Et sive mater tutelam, sive quicumque susceperit, præsentibus testibus vel propinquis, de omnibus rebus quas pater reliquit, brevis factus trium vel quinque testium subscriptione firmetur, et præsentibus ipsis, qui ad brevem faciendum testes interfuerint, Episcopo aut Presbytero, quem parentes elegerint, brevis comendetur, minoribus dum adoleverint reformandus. Statuentes etiam, ut si quæ contra minorum personas adversæ accesserint actiones, his intentionibus tutor, si voluerit, debeat parere responsum. Certe si neglexerit, repenti quæ postulat a iudice restituantur: salvo tamen minorum negotio, dum adoleverint, ad integrum reformando. Ille vero qui ad

culdubio consequantur. Ita ut, mortuo filio, si pater qui filii defuncti successionem ceperit, intestatus discesserit, hæredibus patris ex lege propinquieribus eadem facultas pertineat. Similiter et si mater luctuosam filii defuncti hæreditatem ceperit, et intestata discesserit, omnis successio eius eadem facultate ad propinquos mulieris hæredes pertinere debebit, ea conditione servata, ut nepotes ex filio vel filia, qui patre vel matre supprestite mortui fuerint, integram de rebus avi vel aviæ, quam fuerant pater eorum vel mater, si vixissent, habituri, percipiant portionem. Quod si filius, habens uxorem et filios, patre vivente, discesserit, antequam ei pater suus omnem portionem, quæ ei contingeret, implesset; et filii quos reliquerat, vivente avo, mortui fuerint, tunc illa relicta hoc tantum recipiat, quod in maritum patrem antea sequestravit. Nec plus illa vidua a socio vel cognatis requirat. Si vero filius cum patre in commune vivens nihil ab eo portionis acceperit, tunc illa vidua tantummodo accipiat, quod ei tempore nuptiarum maritus eius donationis titulo noscitur contulisse. Si vero filius patris servans obedientiam, res, quæ ei de materna successione competeant, patrem possidere permiserit, et postmodum eandem facultatem filio debitam, quam pater possidebat, idem filius uxori suæ, vel cuiuscumque concesserit, firma talis donatio in nomine uxoris, vel cuiuscumque conscripta manebit, si tamen filios de eodem viro non habuerit. Nam si filii supprestes extiterint, ordo superioris legis erit incunctanter servandus.

XIX. — Flavius Cintasvintus Rex.

De Posthumis.

Divini principatus quodammodo peragimus vicem, quum necdum genitis misericordiæ porrigimus opem. Ideoque quum vir præventus sorte fatali, facta gravidam, cum filiis relinquit uxorem, eum qui nascetur postmodum cum ceteris qui nati sunt, fieri consemus hæredem. Quod si nusquam forte reliquerit sobolem, et suam quibuslibet donaverit facultatem, quarta rerum eis portio dividenda servetur. Tres vero partes, quæ supersunt, posthumis absque dubio sortietur. Quod si vir et uxor in coniugio positi, antequam filios habeant, invicem sibi unos in alterius nomine de facultate propria donationis faciunt scripturam, et post huius testationis ordinem filios talibus habere contingat, talis parentum testatio, si filii ipsi supprestes extiterint, omnino non valeat, sed ex toto huius tam indiscretæ ordinationis voluntate disrupta, debitam sibi omnem parentum facultatem filii capiant et adsumant: de quinta tantum parte parentibus, si aliquid inde testasse contigerit, potestate concessa habebunt. Ceterum si unus ex ambobus, id est, vir aut uxor, antequam unius copulæ societatem adirent, quicumque ex ambobus in alterius nomine scripturam de rebus suis probatus fuerit concrispsisse, omni vigore valitura persistat, et talis testatio per eorum vocem qui postea ex illis nati fuerint, non erit ullo modo convellenda.

XX. — Flavius gloriosus Cintasvintus Rex.

VI qui non reliquerit filios, faciendi de rebus suis quod voluerit, habeat potestatem.

Omnis vir ingenuus atque femina, sive nobilis, seu inferior, qui filios, vel nepotes aut pronepotes non reliquerit, faciendi de rebus suis quidquid voluerit indubitante licentiam habeat, nec ab aliis quibuslibet proximis, ex superiori vel ex transverso venientibus, poterit ordinatione eius in quocumque convelli. Quia recta linea decurrens non habet originem, quæ cum successionem naturæ hæreditatem possit accipere. Ex intestato autem, iuxta legem ordinem, sibi debitam hæreditatem poterint iure successionem.

præsens rem ipsam petere cœpit, si in iudicio, dum ipse minor adoleverit, ab eodem fuerit victus, quæ acceperat, cum retroactorum temporum fructibus sive serviitiis, ipsi minori, aut parentibus eius, seu ad quem ipsa facultas iuste transierit, vel cui conlata fuerit, indubitanter restituat. Et pro præsumptione sua, quia quod in iudicio vindicare non valuit, quod petierat, insuper decem solidos coactus exsolvat. Nam et si tutor pro pupillorum lucris, vel eorum rebus intendere, vel causare voluerit, licentia illi indubitata manebit. Quod si negotia pupillorum negligentia tutoris fuerint vitiosa, vel perdita pupillorum ea voce ad futurum permittimus reparanda.

IV. — *Flavius gloriosus Recesvintus Rex.*

Ne tutores ab eis quos in tuitione habent quascumque scripturas extorquere præsument.

Dum minorum ætas in annis pupillaribus constituta nec se, nec bona sua regere possit, bene legibus est decretum eos, et sub tutoribus esse, et in eorum negotiis quot statuti anni debeant computari. Quia vero quidam tutores aut suasionem, aut indignationem circumveniunt quos gratissime tueri debuerant, et de rebus reddendæ rationis securitatis accipiunt, vel certe diversarum obligationum scripturas ab illis exigendas insistunt, quo extinctis vocibus eorum, quæ illis competunt, nunquam inquirere, vel recipere permittantur. Adeo ut melioris mercedis partem nostra clementia consequatur, dum competentem curam eisdem minoribus inrogare perpenditur; hæc custodienda modis omnibus conditio ordinatur, ut sive in minori ætate, seu etiam quamvis quartum decimum ætatis annum videantur pupilli transire, tamen si tutores adhuc, vel ipsos, vel eorum res in sua potestate noscuntur habere quascumque scripturam securitatis, aut alicuius obligationis atque transactionis, ipsis tutoribus, vel cuiuscumque personæ per factionem tutorum fecisse reperiantur, omnia invalida et exinanita penitus reputentur. Quum vero tempus illud advenit, quando eum qui sub tuitione fuit, rem in sua potestate oporteat redigere, tunc ille tutor coram sacerdote vel iudice, pupillo de cunctis rebus redita ratione, ab eo quem tutus est securitatis scripturam procuret accipere: sicque remota omni occasione pressuræ, aut recipiat pupillus quod iuste sibi deberi cognoverit, aut libero arbitrio de rebus suis, utrum cessionem, an qualem voluerit ordinare definitionem, plenam habeat libertatem. Si vero proveniat, ut dum in tuitione est, mortali langore vexetur, quod de sibi debitis rebus iudicare elegerit, a duodecimo ætatis suæ anno, iuxta ordinem qui in alia lege est definitus, habeat plenissimam potestatem. De rebus vero tutoris, seu vivens, sive moriens idem tutor eas an filiis, an quibuscumque personis reliquerit, si pupillis reddita ratio non fuerit, iuxta inventarium quod tempore acceptæ tuitionis est factum, sive quod evidenter apud tutorem fuisse extiterit manifestum, qui res tutoris habuerint, pupillis indubitanter omnia reformabunt. Huius sane legis remedium cunctis pupillis dabit indubitanter consultum: excepto si illud tempus advenit, quando eorum vocem quinquagenario numero lex sopiri decrevit.

IV. TITVLVS.

DE EXPOSITIS INFANTIBVS.

I. Vt pro exposito infantulo ingenuo, serviat qui proiecit.—II. Si servus vel ancilla, conscis vel nescis dominis, proicere videantur infantem.—III. Qui a parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat præmium.

I.—Vt pro exposito infantulo ingenuo, serviat qui proiecit.

Si quis puerum, aut puellam ubicumque expositum misericordiæ contemplatione collegerit, et nutritus infans

a parentibus postmodum fuerit agnitus, si ingenuorum filius esse dinoscitur, aut servum vicarium reddant, aut pretium. Quod si facere forte neglexerint, a iudice territorii de proprietate parentum expositus redimatur, et parentes huius impietatis auctores exilio perpetuo relegentur. Si vero non habuerint unde filium redimere possint, pro infantulo deserviat qui proiecit, et ille in libertate maneat propria, quem servavit pietas aliena. Hoc vero facinus, quum fuerit ubicumque commissum, iudicibus et accusare liceat, et damnare.

II.—Si servus vel ancilla, conscis vel nescis dominis, proicere videantur infantem.

Si ancilla, vel servus in fraudem fortasse dominorum infantem exposuerint, et ipsis insciis, infantem proecerint, infans quum fuerit nutritus, tertiam partem pretii nutritor accipiat. Ita ut iuret aut probet dominus se, quod servi sui infantem exposuerint, ignorasse. Si vero conscis dominis, infans probatur fuisse iactatus, in eius qui nutritus potestate permaneat.

III.—Qui a parentibus infantulum acceperit nutriendum, quantum mercedis pro nutritione accipiat præmium.

Si quis a parentibus infantulum acceperit nutriendum, usque ad decem annos, per singulos annos, singulos solidos pretii pro nutrito infante percipiat. Si vero decimum annum ætatis excesserit, nihil postea mercedis addatur: quia ipsi, qui nutritus est, mercedem suam suo potest iam compensare servitio. Quod si hanc summam, qui repetit infantem, dare noluerit, mancipium in nutriendis potestate permaneat.

V. TITVLVS.

DE NATVRALIBVS BONIS.

I. De non exheredandis filiis, et quod iudicium ferant parentes de facultatibus suis.—II. De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.—III. De his quæ parentes tempore nuptiarum filiis dederint.—IV. De filiis de diversis parentibus natis, et qua discretionem parentum adsequantur hæreditatem.—V. De his quæ filii, patre vivente vel matre, videntur acquirere.

I. — *Flavius Chindasvintus Rex.*

De non exheredandis filiis, et quem iudicium ferant parentes de facultatibus suis.

Dum illicita quæque perpetrari cognoscimus, legem ponere sequitur oportune compellimur. Plerique enim indiscrete viventes, suasque facultates interdum vel causa luxuriæ, vel cuiusdam malæ voluntatis adsensu, in personas extraneas transferentes, ita inoffensos filios, vel nepotes, aut non ex gravi culpa forsitan abnoxios inanes relinquunt, ut utilitatibus publicis nihil possint omnino prodesse, quos oportuerat cum virtute parentum iniuncto sibi labore inexcusabiliter expedire. Sed ne sub hac occasione, aut utilitati publicæ quandoque depererat quod perire non debet, aut naturalis pietas suspendatur à filiis vel nepotibus, quam circa eos exerceri competenter oportet; ideo abrogata legis illius sententia, qua pater vel mater, aut avus sive avia in extraneam personam facultatem suam conferre, si voluissent, potestatem haberent, vel etiam de dote sua facere mulier, quod elegisset, in arbitrio suo consisteret; ista magis servetur a cunctis moderata censura, qua nec parentibus, vel avis adimatur iudicandi de rebus suis ex toto licentia, nec filios aut nepotes a successione avorum, vel genitorum ex omnibus repellat indiscreta voluntas. Igitur pater vel mater, avus vel avia, quibus quempiam filiorum vel nepotum meliorandi voluntas est, hanc servent omnino mensuram, ut super tertiam partem rerum suarum meliorandis filiis aut filiabus, vel nepotibus atque neptibus ex omnibus rebus suis nihil amplius impendant, neque facultatem suam ex omnibus in extraneam personam transducant, nisi fortasse provenierit, eos legitimos filios vel nepotes non habere supprestes. Hoc tamen, rationis intuitu prælucente, obser-

vandum adiicimus, ut pater vel mater, avus vel avia de supradicta tertia parte rerum suarum, si in nomine filiorum suorum, atque nepotum aliquid specialiter scriptis conferre decreverint, iuxta testationis eorum ordinem, cuncta erant observanda perenniter; qualiter testatio talium de eadem tertia portione, iuxta quod eam in singulos voluerit prælargire, plenam et inconvulsibilem obtineat firmitatem. Nec licebit filiis ipsis atque nepotibus, qui de hac tertia portione aliquid meruerint a parentibus suis vel avis percipere, quodcumque aliud iudicare, excepto si a parentibus vel ab avis nulla adfutura videatur pro conlatis rebus testationis conditio intercessisse. Sane si filios sive nepotes habentes ecclesiis vel libertis, aut quibus elegerint, de facultate sua largiendi voluntatem habuerint extra illam tertiam portionem, quæ superius dicta est, quinta iterum pars separabitur. De qua quinta parte iudicandi potestas illis indubitata manebit; sed sive tertia rerum pars quæ meliorandis filiis impendi præcipitur, sive quinta quæ pro conlatione ecclesiarum vel libertorum, seu quorumlibet impensione separari iubeatur, de propriis tantumdem rebus separabitur. Nam quod quisquis ille per auctoritatem percipere meruerit Principum, nullo modo in adnumeratione huius tertiæ vel quintæ partis quolibet titulo admiscetur, sed iuxta legem aliam, qui hoc a Rege perceperint, habebunt licitum, quale voluerint, de conlatis sibi rebus a Principe ferre iudicium. Exheredare autem filios aut nepotes licet pro levi culpa, illicitum iam dictis parentibus erit. Flagellandi tamen et corripendi eos, quamdiu sunt in familia constituti, tam avo quam avia, seu patri quam matri potestas manebit. Nam si filius filiaque, nepos vel neptis tam præsumptiosi extiterint, ut avum suum, aut aviam, sive etiam patrem aut matrem gravibus iniuriis conentur afficere, hoc est, si aut alapa, pugno vel calce, seu lapide, aut fuste vel flagello percutiant, sive per pedem, aut per capillos, ac per manum etiam, vel quocumque inhonesto casu abstrahere contumeliose præsumant, aut publice quodcumque crimen avo, aut avia, seu genitoribus suis obiciant. Tales si quidem manifeste convicti, et verberandi sunt ante iudicem quinquagenis flagellis, et ab hæreditate supradictorum, si idem avos et avia, pater vel mater voluerint, repellendi. Tamen si respicientes a suo excessu, veniam a suprascriptis, quos offenderant, imploraverint, eosque in gratiam receperint paterna pietate, aut rerum suarum successores instituerint, neque prohiberi ab eorum hæreditate, neque propter disciplinam, qua correpti sunt, infamiam poterint ullatenus sustinere.

II. — *Flavius Chindasvintus Rex.*

De quota parte liceat mulieribus iudicare de dotibus suis.

Quia mulieres, quibus dudum concessum fuerat de suis dotibus iudicare quod voluissent, quædam reperiantur, spretis filiis vel nepotibus, easdem dotes illis conferre, cum quibus constiterit nequiter eas vixisse; adeo necesse est illos exinde percipere commodum, pro quibus creandis fuerat adsumptum coniugium. Denique constituentes decernimus, ut de dote sua mulier habens filios aut nepotes, seu causa mercedis ecclesiis atque libertis conferre, sive cuiuscumque voluerit, non amplius quam de parte quarta potestatem habeat. Nam tres partes legitimis filiis, aut nepotibus, seu sit unus, sive forsitan plures, absque dubio relicta est. De tota interim dote, tunc facere quod voluerit erit mulieri potestas, quando nullum legitimum filium, filiamve, seu nepotem vel neptem supprestem reliquerit. Verumtamen feminae quas contigerit duobus viris, aut amplius nubere, atque ex eis filios procreare, non eis licitum erit, dotem ab alio marito acceptam filiis aut nepotibus ex alio viro genitis dare; sed unusquisque filius filiaque, nepos aut neptis, ex ipsa linea procreati, dotem quam avus, aut pater eorum concesserat, post mulieris obitum per omnia consecuturi sunt.

III. — *Flavius Chindasvintus Rex.*

De his quæ parentes tempore nuptiarum dederint filiis suis.

Quidquid indiscreta parentum voluntate decernitur, legali necesse est censura coerceatur. Idcirco quia plerumque parentalis calliditas exigit, id tempore nuptiarum filiis donare, quod quandocumque voluerint auferendi habeant potestatem, abrogata deinceps eadem, quæ prædicta est, parentum callitate, hanc perpetim legem mansuram per omnia noverint, ut si quid per traditionem rei, seu per scripturam, sive per donationem cuiuslibet, vel coram testibus tradita rei, extra quod in ornamentis aut vestimentis, vel reliquis speciebus, sicut fieri adsolet, pro dignitate nuptialium fœderum ab aliis fuerit fortasse acceptum, quod utique commodantibus erit reddendum, in mancipiis, terris, vineis, ædificiis, vestimentis atque ornamentis fuerit a parentibus, sive nuptiarum tempore, sive post nuptias filiis quocumque modo donatum, quodcumque filii inde iudicare voluerint, in eorum consistat arbitrio; eodem tantum ordine reservato, ut post parentum obitum dum filiis patuerit adeudanda successio, excepto id quod parentes filiis iuxta lege fortasse donaverint, eadem inter hæredes coæquatio fiat: ut quod nuptiarum tempore filius vel filia a parentibus iuxta prædictum ordinem possidendum acceperit, et licentia sit illi exinde quod voluerit iudicandi, et post parentum obitum aderatione adhibita, contrariis his, quæ tempore nuptiarum promeruit, atque hæredibus cæteris eadem compensata æqualitate, quidquid superesse de parentum hæreditate constiterit æquali teneant ac sequantur divisione.

IV. — *Flavius Chindasvintus Rex.*

De filiis ex diversis parentibus natis, et qua discretionem parentum adsequantur hæreditatem.

Si provenierint unum virum plures habere uxores, atque ex omnibus filios procreare, et aliquem filiorum aut filiarum contingat intestatum ab ac vita discedere, facultatem eius, si filios non reliquerit, vel nepotes, illi fratres vel sorores adprehensuri sunt, sibi que vindicaturi, quos ex uno patre, et ex una matre constat esse progenitos. Quod si ex uno patre, et diversis matribus filii nati fuerint, facultatem, quæ de patre venerit, illi tantum inter se erunt æqualiter divisori, qui ex uno patre fuerint procreati. Similiter et si de una matre, et de diversis patribus filii nati fuerint, id præcipimus observari. Nam et si una mulier de plurimis maritis filios habeat, similiter fratrum, sororumque hæreditatem, tam a paterna quam a materna successione sibi debitam, eorum qui ex his intestati, vel absque prole, sive nepotibus discesserint, illi tantum fratres sororesque habituri sunt, qui unius patris vel matris filii, filiaque fore noscuntur. Ita ut iuxta legem aliam, qua constitutum est trientem nepotes non perdere, licitum sit etiam nepotibus aut neptibus, qui patres aut matres amiserunt, in omni facultate avorum vel aviarum cum patriis aut avunculis æquale succedere, illo tantum ordine permanente, quo superius decretum est, parentes vel avos de rebus suis filios, nepotesque meliorare, aut in extraneum quemlibet quodcumque conferre.

V.—De his quæ filii, patre vivente vel matre, videntur acquirere.

Filius qui, patre vivente aut matre, aliquid adquisierit, sive de munificentiâ Regis, aut patronorum beneficiis promeruit, et exinde aliquid cuiuscumque vendere, aut donare iuxta eam conditionem, quæ in aliis nostris legibus continetur, in ipsius potestate consistat, nec sibi aliquid, dum filius vivit, exinde pater vel mater vindicare præsumant. Quod si inter leudes quicumque nec regis beneficiis aliquid fuerit consequutus, sed in expeditionibus constitutus de labore suo aliquid adquisierit, si communis illi victus cum patre est, tertia pars exinde ad patrem perveniat, duas autem filius, qui laboravit, obtineat.